

terit, si principale non tenuit, nec accessorium, quod ex eo, vel ob id dignoscitur esse secutum. » Nec urget ratio ibidem allata : accipiendo ly, « confirmo, » stante dubio, adhuc actus sustinetur, et valet, dummodo antea validus extiterit. Et quia hæc interpretatio minus præjudicat tertio, hoc ipso retinenda videtur : si enim princeps voluisset convalidare actum etiam cæteroquin invalidum, potuisset expressisse; prout in simili dicitur cap. II. § *Sed neque de Translat. episcop.*

17. *Prior, seu contraria sententia locum habet in confirmatione beneficii proprie dicti.* — Additur notanter n. 13. posteriorem sententiam merito esse retinendam, « saltem ubi agitur de præjudicio tertii. » Nam loquendo in casu, quo aliquid conceditur, seu concessum confirmatur ex mera liberalitate principis concedentis (hoc est, non ad præjudicium tertii, aut juris communis, sed vel ad nullius, vel ad concedentis duntaxat præjudicium; quod « Beneficium proprie, seu stricte sumptum » appellant) tunc prior Abbatis sententia locum habere poterit. Nam quod « Beneficia principum sint interpretanda largissimè, » textus est in c. *Olim.* 16. de *Verb. signif.* et c. *Cum dilecti.* in 6. de *Donation.* et c. *Quamvis.* 4. de *Præbend.* in 6. atque ex professo declaratum est supra lib. I. tit. III. de *Rescriptis.* § 5. n. 126. 128. et seqq. (AD-RESERVATIO XXVI.)

18. *Contra confirmationes Papæ nequit judex inferior judicare, etc.* — Quæritur III. Utam de confirmatione per papam facta possit Judex inferior cognoscere? Resp. I. Contra confirmationes papæ super aliqua re, statuto, contractu, privilegio, sententia, aut hujusmodi facta, nullus inferior judex potest aliquatenus judicare, aut recognoscendo easdem immutare : nisi de speciali ejusdem mandato; aut nisi certum sit, confirmationem per falsi suggestionem fuisse elicitam. Ita textus in cap. I. et II. h. t. et ibi canonistæ communiter. Ratio est, quia ea, quæ per papam confirmata sunt, dicuntur papalia; juxta quod habetur c. *Si Apostolicæ.* de *Præbend.* in 6. ubi Pontifex inquit : « Cum provisus ipsius legati post imperitam a nobis auctoritatem nostra censeatur effecta. » Concordat textus in l. I. § *Sed neque. c. de Veteri jure enucleand.* referens Imperatorem sic loquentem : « Omnia etiam merito nostra facimus : quia ex nobis omnis eis imperitur auctoritas. » Atqui de judicio papæ, veluti

Christi in terris vicarii, ac visibilis capitis Ecclesiæ nemini permissum est judicare, aut illius sententiam retractare, can. *Nemini est,* 17. q. 4. Nam ejus causas Deus suo judicio reservavit, can. *Aliorum.* 9. q. 3. cum similibus.

19. *Nisi de speciali Papæ mandato. Et quando Papa istud mandare soleat?* — Additur tamen in conclusione, « nisi de speciali ejusdem mandato. » Quia cum contingere possit, quod ad importunas, vel minus veras preces a papa aliquid obtineatur, aut concessum confirmetur in præjudicium, atque gravem læsionem alterius : isto recurrente ad eundem papam, vel successorem ipsius, causæ illius examinatio solet ab eo committi rursus cuiusdam sac. congregationi, aut alii judici delegato. Quamquam antea aliqua summaria cognitio justitiæ, et boni juris ex parte supplicantis, desuper haberi soleat; tum ut litigantium calumniis tempestive occurratur : tum quia princeps non debet aditum liti concedere, quam agnoscit esse injustam. Card. Luca, de *Judiciis,* discurs. 20. n. 12. et 14.

20. *Clausulæ præjudiciales, quæ? Hæc claudunt in partibus, et ligant manus judicis, nisi concedatur aperitio oris.* — Atque istud etiam procedit non obstantibus « clausulis (ut in curia loquuntur) præjudicialibus, » quæ in litteris apostolicis quandoque apponi solent : uti sunt, decretum irritans, et clausula *Sublata,* etc. Quandoque de subreptione, vel obreptione, aut de defectu intentionis judicari non valeat; et hujusmodi. Etsi enim talium clausularum virtus, atque operatio sit, claudere os partibus, atque ligare manus judicis : adeo, ut neutra illarum amplius audiri debeat, nec judex desuper judicare possit; et si secus attentetur scienter, aut ignoranter, nulliter agatur ex defectu jurisdictionis, quæ per papam virtute talium clausularum sublata censetur. Nihilominus, si antea debite petatur, atque concedatur aperitio oris adversus hujusmodi clausulas, tollitur rigor dictarum clausularum; et datur facultas impugnandi litteras apostolicas, non obstante confirmatione pontificia; licet idcirco non elidantur alii effectus. Barbosa, tract. de *Clausulis,* claus. 175. *Sublata,* et c. n. 6. post Rotam in Pacen. Pensionis. 20 novemb. 1609. coram Card. Marguemonio.

21. *Aperitio oris, a quo petenda? Ubi, et quomodo concedi soleat?* — Cæterum memorata aperitio oris adversus dictas clausulas præjudiciales, petenda est a summo pontifice in

signatura gratiæ. Barbosa cit. claus. 175. n. 3. Nec solet concedi, nisi prævia aliqua summaria cognitione justitiæ, et boni juris ex parte supplicantis, ob dicta n. 19. Unde aliquando simpliciter concedi solet, quandoque vero simpliciter denegari; teste Card. de Luca cit. discurs. 20. de *Judiciis.* n. 11. De facili tamen concedi solere dictam oris aperitionem, scribit Barbosa, loc. cit. n. 6. allegans alios; idque ex eo; tum ne clausulæ ejusmodi præjudiciales sint vinculum iniquitatis; atque propter ipsas jura partium maneat indefensa, et inaudita; tum quia oris aperitio non dicitur nova gratia, se tantum removet obstaculum, sicque sapit justitiam.

22. *Judex inferior potest procedere contra litteras confirmationis apostolicæ, quando sunt subreptitiæ.* — Additur ulterius in data n. 18. conclusione, « aut nisi certum sit, confirmationem per falsi suggestionem fuisse elicitam : » puta. quando de hoc constat, vel per evidentiam facti, vel per confessionem partis in judicio factam, ac hujusmodi; ut c. *Cum olim.* 24. de *Verb. signif.* cum similibus. Tuac enim judicem inferiorem posse procedere contra litteras confirmationis apostolicæ, aperte conceditur in c. *De appellationibus.* 2. h. t. Idque merito : tum ne Sedes apostolica quoquo modo videatur indulgere malitiis hominum, tum quia æquum est ut « mendax peccator carere debeat penitus impetratis, » per textum in c. *Super litteris.* 20. de *Rescript.* cum similibus.

23. *Potest etiam de litteris, etc., confirmationem Papæ continentibus, cognoscere incidenter.* — Resp. II. Etsi judex inferior de litteris, aliisve rebus confirmationem papæ continentibus, cognoscere non possit principaliter, juxta hactenus dicta : potest tamen de ipsis cognoscere incidenter. Ita Glossa fin. in c. *Cum venissent.* 12. et Abbas, ibid. n. 3. de *Judiciis;* et alii. Idque probatur ex c. *Causa.* 9. de *in integr. restitut.* ubi in simili casu delegati ab ordinariis, qui administrationem non habent; super causa restitutionis, veluti ad majores Judices pertinente, « cognoscere nequeunt, nisi coram eis mota fuerit incidenter. » Concordat textus in l. *Quoties. c. de Judiciis:* Ubi judex, qui de causa status principaliter cognoscere non valet, potest istud incidenter.

24. *Idque exemplificatur.* — Declaratur conclusio inductione. Sic, ubi v. g. privilegium a papa confirmatum, ab una parte prodicitur contra aliam, potest judex inferior

illud inspicere, ac videre, utrum sit vitiosum, vel subreptitium, nec ne. Abbas cit. n. 3. vers. *Aut quæritur, numquid inferior.* Item, si constet esse legitimum, et verba talis privilegii sint clara, seu manifesta, poterit judex inferior dicere, quod obstat, vel non obstat privilegium. Glossa fin. in d. c. *Cum venissent.* de *Judic.* istud probans ex c. *Accepimus.* 4. de *Fide instrument.*

25. *An privilegiatus a Papa, sit capax privilegii, potest judex inferior cognoscere.* — Insuper quando quæritur solum, an privilegiatus a papa, sit capax talis privilegii, potest judex inferior desuper cognoscere : quia tunc potius cognoscit de privilegiato, quam de privilegio per papam confirmato. Abbas loc. cit. istud inter alia probans ex c. *Super litteris.* 20. de *Rescript.* Ubi delegato datur potestas cognoscendi super capacitate impetrantis rescriptum ad lites, per simplicitatem exprimendo falsitatem, vel occultando veritatem de jure exprimendam.

26. *Non valet confirmatio papalis, quam religiosus super prioratu, vel administratione perpetuo possidenda obtinuit.* — Alius talis casus habetur in c. *Ad nostram.* 5. et c. *Porrecta.* 6. h. t. ubi non valet confirmatio papalis, quam religiosus super prioratu, vel alia administratione perpetuo, quoad vixerit, possidenda obtinuit. Quia vel in ea non fit mentio, quod impetrans sit religiosus et confirmatio est subreptitia; vel dicitur, impetrantem esse religiosum? et litteræ confirmationis sunt falsæ; cum tales, veluti perfectæ obedientiæ, et paupertati religiosorum præjudiciales; Sedes apostolica non soleat concedere. Unde hujusmodi litteras sub nomine papæ sibi porrectas, jubetur ibidem episcopus recognoscere, ac de ipsis judicare.

27. *Judex inferior, videns actum a Papa confirmatum in forma communi, fuisse invalidum, potest incidenter pronuntiare, confirmationem illam esse invalidam.* — Ulterius, quia per confirmationem in forma communi concessam a papa, non tribuitur novum jus, sed supponitur actus jam antea validus : si judex inferior videat actum, qui a papa confirmabatur in forma communi, secundum se nullum fuisse, atque invalidum; potest per consequens accessorie, atque incidenter pronuntiare, ipsam etiam confirmationem papalem esse invalidam. Pirhing, h. t. n. 15, post Suarez, lib. VIII, de *Legib.* cap. XVIII. n. 2. Unde quando aliquis rei litigiosæ confirmationem in forma communi a Sede apostolica

impetravit, potest iudex de re illa, num fuerit litigiosa, cognoscere, hocque deprehenso in causa procedere: nam confirmatio illa non valebat, neque aliquid novi juris tribuebat, cap. i. h. t. Similiter litteræ confirmationis super sententia, a qua fuerat appellatum, tacita appellatione impetratæ non valent, neque confirmant sententiam latam, c. Bonæ memoriæ. 3. h. t. Idemque dicendum de similibus.

28. *Innovatio privilegiorum, et aliorum instrumentorum potest fieri, ne vetustate corrumpantur.* — Queritur IV. Quid sentiendum sit de innovatione privilegiorum, aliorumque instrumentorum? Resp. I. Privilegia, et alia instrumenta antiqua possunt renovari, ne nimia vetustate corrumpantur; aut si ex aliqua rationabili causa timendum sit, ne pereant, sicque fortuitis casibus subtrahatur probandi facultas, et veritas occultetur. Ita habetur decisum e. *Cum dilecta*. 4. h. t. Idque per extensionem extensivam deducitur ibidem ex legibus civilibus, quibus ob rationes prædictas conceditur, etiam lite non contestata testes valetudinarie, et alios. de quibus ex aliqua ratio-

nabili causa timetur, ad testimonium admittere; ne videlicet ob eorum mortem, aut diuturnam absentiam, probandi facultas subtrahatur, et veritas occultetur.

29. *Ea tamen jus novum non tribuit, sed conservat duntaxat antiquum.* — Resp. II. Nihilominus per innovationem privilegiorum, aut aliorum instrumentorum, jus novum non acquiritur, neque antiquum confirmatur; sed tale jus antiquum duntaxat (si quod erat) conservatur. Ita cit. e. *Cum dilecta*. 4. h. t. juncto summario, et doctoribus ibid. Unde minus est, innovatio privilegii, quam ejus confirmatio: per hanc enim, etiam in forma duntaxat communi factam, major aliqua firmitas, atque auctoritas confertur actui: non sic per innovationem, utpote quæ nihil juris, aut majoris firmitatis de novo tribuit, sed solum deservit ad faciliorem probationem ejus, quod in privilegio olim concessio continebatur.

30. *Conclusio totius libri.* — Et hæc dicta sufficiant in librum secundum *Decretalium*, cedantque ad Majorem Gloriam Dei, qui est *Benedictus in sæcula. Amen. (ADNOTATIO XXVII.)*

LIBER TERTIUS

DECRETALIIUM

PREFATIO.

Postquam in primo libro *Decretalium*, præmissis quatuor titulis, tum de sanctissima trinitate, utpote fonte atque origine omnis sapientiæ et justitiæ, tum de constitutionibus, rescriptis et consuetudine, veluti generalibus juris principiis, actum fuisset de prælati et judicibus ecclesiasticis eorumque institutione et auctoritate: in secundo libro de *Judiciis*, quibus præsent, seu de Processu judiciario, ipsumque concernentibus: subnectuntur tres alii libri, in quibus tractantur materiæ et causæ, quæ in ecclesiasticis judiciis tractari et agitari solent. Hæc autem aut criminales sunt; de quibus agitur in quinto libro *Decretalium*, agendo de vitiiis, et penis eorum: aut civiles, quarum appellatione comprehenduntur etiam causæ spirituales atque ecclesiasticæ, in quibus non criminaliter, seu ad publicam vindictam ob crimen infligendam; sed civiliter atque ad privatum interesse super re, vel jure aliquo contenditur. Hujusmodi vero causæ vel concernunt personas ecclesiasticas earumque res aut ecclesias: et de his tractat iste tertius liber: aut personas sæculares, seu laicas: uti sunt sponsalia, et matrimonium, eorum statui proprium, de quibus in quarto libro agitur.

Igitur in hoc tertio *Decretalium* libro tractatur de clericis horumque obligationibus et rebus; puta beneficiis, decimis, ac hujusmodi, simul et de ecclesiis, atque pertinentibus ad istas. Et quia clerici in genere, alii sunt sæculares, alii regulares: de clericis sæcularibus incipit præsens liber tractare, et varia, quæ ipsos, nec non et beneficia resque ecclesiasticas eorum curæ commendatas con-

cernunt, per priores 30 titulos resolvit. De clericis autem regularibus a 31 titulo tractare incipit: atque circa finem a titulo 40 et deinceps tractat ea, quæ ecclesiarum consecrationem, sacramentorum administrationem, venerationem sanctorum, jejuniorum observantiam, immunitatem ecclesiarum, et alia hujusmodi concernunt; prout amplius tum in textus juris, tum in progressu patebit. Unde pergendo in nomine Domini, sit.

TITULUS I.

De vita et honestate Clericorum.

1. *Ratio præcedentiæ præsentis tituli.* — Tractaturus Compiler juris canonici in hoc libro *De Clericis*, ante omnia præmittendam censuit rubricam, De vita et honestate Clericorum, utpote quæ potissimum in clericis requiritur; cum hi, veluti lucernæ positæ super candelabrum, toti populo vel maxime vitæ, morumque honestate, prælucere, necesse habeant. Quod ut melius intelligatur, sit:

§ I.

DE NOMINE ET DIGNITATE CLERICORUM.

2. *Clerici, unde sic dicantur?* — Queritur I. Unde clerici sic dicantur; et quæ sit dignitas clericatus? Resp. I. Clerici, juxta Isidorum, relatum in can. 1. dist. 21. sic appellantur a græco κληρικός et Sans latine, seu